

Euplectus sanguineus Denny, rarus. ⁴⁵⁾

Trimium liocephalum Aubé, unum spec. ⁴⁶⁾

Paussus turcicus Friv. 2 spec.

Sat frequens in Pedemontanis collibus, praesertim primovere sub lapidibus: in Etruria, Insubria, Nicaeis et Gallia meridionali reperiri D. Sauley communicavit. *B. bulbifer* Reichenb. apud nos minus frequenter sub muscis hieme occurrit. Hunc inter et *collarem m. B. italicus* systematice collocandus.

⁴⁵⁾ *Euplectus punctatus* Muls. etiam in Alpibus maritimis lectus.

⁴⁶⁾ *Claviger apenninus m. (Baudii* Sauley in litt.): *Rufotestaceus, fulvo-pubescentis, antennarum articulo tertio cylindrico, sequentibus duobus simul sumtis longitudine subaequali, thorace subcompresso, basi subtiliter foveolato, abdominis segmento primo in depressione basali striolis duabus distantibus impresso, depressione longitudinaliter triangulari.*

Mas: *tibiis mediis ad trientem posticum intus acute dentatis, abdominis segmento ventrali ultimo medio argute longitudinaliter carinato.* — Long. $1\frac{1}{3}$ lin.

Cl. longicorni valde affinis, eo paulo angustior et minor, rufotestaceus, capite thoraceque pube fulva densiore, elytris, antennis, pedibus abdomineque minus densa et subtiliore tectus, infra glaber, pectore longitudinaliter anguste inter coxas anticas et posticas elytrisque apice utrinque pube densiore e penicillis fulvis ornatis. Caput uti in *longicorni*; antennae similiter constructae, at paulo breviores, articulo tertio sequentibus duobus simul sumtis longitudine fere aequali, quinto praecedente sesqui brevior; thorace elytrisque etiam fere ut in illo. Abdomen segmento primo basi transversim profunde impresso, impressione inferius triangulariter posteaque medio in canaliculam sensim obsolete apicem versus proficiente, laevissima; in compressionis fundo basi striolis duabus distinctis et parum profundis, invicem leviter convergentibus, basi inter se tamquam a margine laterali distantibus signato; eadem striolae in *longicorni* approximatae. Maris carinula ventralis magis etiam angulatim elevata.

In montibus Apenninis Etruriae ultra quadraginta specimina sociatim in *Lasii flavi* nidis ad meridiem positis bifariam inveni.